

172,1

QUÆSTIONES HISTORICÆ

in

Cornelii Nepotis vitas

quae vulgo inscribuntur

excellentium imperatorum.

PARTICULA I.

Scripsit

JOANNES FREUDENBERG,

in gym. regio Monasteriensi ad Eifliam sup. ord. praeceptor.



COLONIAE AGRIPP. typis Jo. Ge. SCHMITZII.

MDCCCXXXIX.

gmv
38

1,551

HT 008618679



UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF

MDCCLXXII

PRÆFATIO.

Res, de qua nobis scribendum proposuimus, etsi cum in pluribus ad Cornelium Nepotem commentariis, tum nuper singularibus duorum Batavorum commentationibus *) pertractata est: satis tamen, in quo quis vires suas experiri possit, relictum esse, iure affirmare posse nobis videtur. Ut enim hos duumviros de rerum, quae a Nepote memorantur, fide exploranda atque inprimis de fontibus, quibus Nepotem usum esse probabile est, indagandis optime meritos esse, lubenter agnoscimus, ita nonnulla eos minus recte vidisse, alia, quae ad rem pertineant, plane praetermississe, neque semper eam quam par est temporum notationis rationem habuisse, negari non potest.

Itaque nostram qualemcunque operam non plane inutilem futuram esse speramus, praesertim cum illorum libros in paucorum manus venturos esse credere liceat.

Sed priusquam ad rem propositam transeamus, ne ea quae subsequuntur iusto fundamento ca-

*) Harum commentationum, ab Academia Rheno-Traiectina secundo praemio ornatarum, altera, quae inscribitur: *De fontibus et auctoritate Cornelii Nepotis*, J. J. Hisely auctore prodiit Delphis Bat. a. 1827; altera, cui idem titulus est, auctore R. H. Eyssonio Wichers, Groningae edita est a. 1828.

reant, primum de libri auctore, tum de consilio, quod auctor in his vitis enarrandis secutus sit, denique de fide eius in universum pauca prae-monenda esse putamus.

Ac prima quidem quaestio de libri auctore quum egregia summi *Lambini* opera, qui *vitas*, quae vulgo inscribuntur *excellentium imperatorum* *), non Aemilio Probo, sed Cornelio Nepoti attribuendas esse primus et pronuntiasset et comprobasset, plane ad liquidum perducta esse videretur: nostra aetate exstitit *G. F. Rinckius* **), qui argumentis magis speciosis, quam veris confisus, librum, ut Cornelio Nepote indignum, *Aemilio Probo*, Theodosii M. imperatoris aequali eidemque Praefecto Praetorio, vindicandum esse iudicaret. Rinckium mox alii secuti sunt, ut *Jul. Heldius* (*Prolegomena ad vitam Attici, quae vulgo C. Nepoti adscribitur. Uratislaviae* 1826. 8^o.) et *C. Ferd. Rankius* (*Comm. de C. Nep. vita et scriptis. Quedlinburgi a.* 1827. 4^o.), quorum ille eo audaciae progressus est, ut non solum *vitas excell. imp.*, sed etiam vitam M. P. Catonis et Attici a Cornelio Nepote abiudicandas esse contenderet. Quorum virorum argumenta quum longum sit singillatim refellere, tum minus est necessarium, quum iam alii VV. DD. contra illorum criminationes Nepotis patrocinium susceperint, quos satis est hoc loco nominasse. Com-

*) De inscriptione, quae in codicibus variat, conf. *Staveren.* ad Praef. initium.

**) In libro, cui titulus: *Saggio di un esame per restituire ad Emilio Probo il libro de vita Excellent. imper. Venetia.* 1818. 8^o; germanice convertit *D. Hermannus.* Viennae. 1819.

pares, quaeso, quae *Baehrius in histor. litt. Roman.* ed. II. p. 368 sqq., *Bardilius ad praef. ed. Staverianae* p. XCIX sqq. et imprimis *Daehnius in prolegomenis ad editionem anni 1830.* p. XXXI sqq. accuratissime de hac re disputaverunt. Praeter hos nuperrime Lambini sententiam amplexi sunt tres viri doctissimi, *Alphonsus Walicki* (in diss. inaug. *de Corn. Nepote.* Dorpati 1832), *G. E. F. Lieberkühn-Pohlmannianus* (de auctore vitarum, quae sub nomine C. Nep. feruntur, quaestt. critt. Lipsiae 1837), et *Th. Lütkenhus* (de C. Nep. vita et scriptis comm. Monasterii. a. 1838.) Cum his igitur viris eruditissimis statuimus, *vitas excellentium imperatorum* re vera a Cornelii Nepotisu manu profectas, regnante Theodosio M. a librario quodam, ut videtur, *Aemilio Probo*, ex maiore *de viris illustribus* opere deperdito selectas *) atque in eum, quo nunc leguntur, ordinem reductas esse **); quanquam in hac segregandi et componendi opera librum nitidissimum passim interpolatum esse levesque maculas contraxisse, minime negaverimus. Conf. Bardil. l. l. p. CIII. sq.

Ad alteram quaestionem quod attinet, ea ita optime absolvetur, si et temporis, quo hae vitae scriptae sunt, conditionem reputemus, et, num quid ipse auctor de scribendi consilio profiteatur,

*) Conferas etiam cl. Moschii comm.: *Cornelii Nep. liber, qui inscribitur Imp. exc. vitae, utrum opus integrum, an vero operis maioris pars quaedam sit habendus.* Lubecae, 1807. 4^o. et *Eichhoff.* ad *Bergstrasseri* Nepotis versionem german. p. IX sqq.

***) Conf. *Titzium* in introduct. ad Nep. edit. p. 32, ubi *vitas* ante non eo, qui nunc est, ordine inter se excepisse, accurate demonstravit.

attendamus. Ac primum constat, Corn. Nepotem, Tullii Ciceronis, Attici, Catulli familiarissimum, iis vixisse temporibus, quibus ex divitiis immensum in modum auctis avaritia et luxuria magis magisque ingravescentibus cum disciplina ac mores praecipites ivissent, tum res publica immoderata singulorum potentia atque dominandi cupidine perturbata et paene sublata esset. Has autem vitas eo ipso tempore scriptas esse, quo Julius Caesar solus totam rem publicam suo nutu gubernaret, ex plurimis ipsarum vitarum locis haud temere colligitur. Hinc etiam illud dilucide apparet, Nepotem id maxime in his vitis componendis secutum esse, ut popularibus suis antiquae disciplinae, fortitudinis, temperantiae, iustitiae exempla, quae imitarentur, proponeret, ut patriae libertatisque amore eos inflammaret, denique ut summum, in quod res publica adducta esset, discrimen iis ostenderet. Quam in rem conferendi sunt hi loci: Milt. c. III, §. 6: *Cuius ratio etsi non valuit, tamen magnopere est laudanda, quum amicior omnium libertati, quam suae fuerit dominationi*; ib. c. VI.; Ages. IV, §. 2: *Cuius (Agesilai) exemplum utinam imperatores nostri sequi voluissent*. Thras. II, 4: *Nam iam illis temporibus fortius boni pro libertate loquebantur, quam pugnabant*. Praeterea compara, sis: Eum. c. VIII, §. 2; Epam. X, 3; Dion. V, 2; IX, 5; Phoc. II, 2, et Cat. II, 3. Quibus addendus est locus e vita Pelop. c. I, in., ubi haec leguntur. *Cuius de virtutibus dubito, quem ad modum exponam* et q. s.: ex quo intelligitur, Nepotem non tam imperatorum historiam

scribere, quam vitam enarrare voluisse, eorumque res ita explicasse, ut a *rudibus Graecarum literarum* satis cognoscerentur. Conf. etiam Vit. Attici c. XIX, §. 1: *Quantum potuerimus, rerum exemplis lectores docebimus, summos cuique mores conciliare fortunam.* — De qua re, quod cel. *Schlosserus* *) nuper pronuntiavit, Nepotem in his vitis conscribendis Sallustii Crispi rationem habuisse, et quum ille perditorum omnibusque flagitiis insignium sui temporis hominum res ac mores descripserit, hunc quae istis maxime essent contraria exempla virorum et vitae integritate et rerum gestarum gloria excellentium Romanae iuventuti ad imitandum proposuisse, id, quum in sola coniectura positum sit, neque imprecbare neque affirmare ausim.

Tertium, quod nobis breviter tangendum esse diximus, fides est Nepotis. Qua quidem in re ut pro eo, quod scriptorem secutum esse consilium vidimus, exspectari non potest, ut in singulis rebus exponendis ad primos semper fontes recurrat, ac in rerum narratarum fidem ipse accuratius inquirat; ita iure postulatur, primum ut non nisi optimos cuiusque rei auctores sequatur eosque diligenter adhibeat, deinde ut temporum ordinem accurate observet. At vero Nepotem in his vitis enarrandis festinantius atque negligentius versatum esse, plurimaque, auctoribus suis non inspectis, memoriter conscripsisse, multis iisque luculentis exemplis confirmari potest.

*) In libro, qui inscribitur: *Universalhistor. Uebersicht der Gesch. der alten Welt II. Vol. Part. II. p. 365.*

Quum enim interdum peioris notae duces elegerit, tum vel probatis auctoribus mira negligentia usus est, plura, quae iure exspectare liceat, prorsus praetermisit, res et nomina saepius confudit atque in temporum notatione frequentissime erravit. Quae quum ita sint, in hoc certe libro *) Nepotis auctoritatem non magni faciendam, ac, nisi probatorum scriptorum consensu accedente, fidem ei non habendam esse, apparet.

Quod reliquum est, opto et precor, ut iudices harum rerum intelligentes libellum nostrum benevole accipiant: quod si contigerit, hoc questionum specimen proxima scribendi opportunitate alterum subsequetur.

*) Ipsos veteres Nepotis fidem in dubium vocasse apparet ex duobus locis Plinii hist. nat. III, c. 18, et V, c. 1, ubi eum nimiae credulitatis accusat. Conf. *J. H. Schlegelii observ. critt. et hist. in Corn. Nep.* p. 184 sq. in Corn. ed. Panckuck.

I. Miltiades.

Iam ad singulas excellentium imperatorum vitas examinandas accedentibus in ipso Miltiadis initio tam multa, quae sunt contra manifestam fidem, nobis occurrunt, ut quod supra diximus, Cornelii Nepotis auctoritatem non magni faciendam esse, certo confirmetur. Nam quae scribit de colonia Atheniensium Chersonesum deducta ac de rebus ad Lemnum insulam pertinentibus quum longe aliter a ceteris scriptoribus narrentur, tum temporum ratio in iis mirum quantum perturbata est. Si enim Herodotum, gravissimum harum rerum auctorem, consulimus (lib. VI, c. 34 sqq.), primum non Miltiades Marathonius coloniam Chersonesum deduxit, sed Miltiades maior, Cypseli filius; deinde Athenienses non sua sponte *hos colonos mittere* voluerunt, sed a Doloncis rogati: namque hae gentes, non *Thracēs tum eas regiones tenebant*. Tum non ex his i. e. Atheniensibus delecti Delphos deliberatum missi sunt, sed ipsi Dolonci, quum ab Absinthiis bello premerentur, reges suos eo miserunt, qui de belli exitu Apollinem consulerent. Denique quod Nepos scribit: His consulentibus nominatim Pythia praecepit, ut Miltiadem sibi imperatorem sumerent, non solum a sollempni constantique oraculi ratione et consuetudine, qua responsa semper *λοξῶς* et per ambages reddebantur, prorsus abhorret, sed etiam aperto Herodoti testimonio plane repugnat. Id quo facilius intelligatur, Herodoteae narrationis summam hoc loco exponere abs re non alienum esse videtur. Is enim l. c. narrat, Pythiam consulentibus Doloncorum regibus respondisse, ut eum *οἰκιστὴν* in terram suam deducerent, qui ipsos e templo egressos primus hospitio esset excepturus. Hinc Athenas profectos et hospitio invitatos a Miltiade, Cypseli filio, claro tum temporis Athenarum cive, huic

oraculi sortem aperuisse. Qua audita Miltiadem, perosum Pisistratarum tyrannidem, facilem se praeuisse Doloncorum precibus, consultoque oraculo Delphico, εἰ ποιοίη τάπερ αὐτοῦ οἱ Δόλογοι προσεδέοντο, quum Pythia incepto adnuisset, cum colonis Atheniensibus, quicumque eius demigrationis societatem peterent, Chersonesum profectum summum ibi imperium adeptum esse et Absinthiorum incursionibus munitionibus coercuisse (Her. VI, c. 36). Huc, nisi egregie fallor, referenda sunt Nepotis verba, quae sunt cap. II, §. 1: *loca castellis idonea communivit*. Cypseli filium idem ait excepisse *Stesagoram*, Cimonis, fratris uterini, filium (ὁ Κίμωνος, ἀδελφεοῦ παῖς ὁμομητρίου); quo occiso alterum demum Miltiadem, Cimonis filium, in fratris locum successisse. Auctoribus enim ipsis Pisistratidis, qui secundum Herodoti lib. VI, c. 103 paulo ante patrem eius Cimonem sibi invisum per insidias occidendum curassent, eum cum una navi triremi Athenas reliquisse tyrannidemque Chersonesi occupasse (Her. VI, 39). Quod quidem imperium quum Nepos cap. II scribit Miltiadem sine offensione obtinuisse summaque aequitate res constituisse, non minus pugnat cum Herodoto, qui eum l. e. post Stesagorae obitum civitatum principes in vincula coniecisse et quingentos corporis custodes aluisse memorat.

In his rebus narrandis cum Herodoto omnino consentit *Marcellinus* in vita Thucydidis a §. 1 usque ad §. 14, quanquam in singulis ab eo discrepat; ut *Valckenarius* ad Herod. VI, 35 diversum ab Herodoto auctorem eum secutum esse recte, opinor, statuerit; quum praesertim ad probandam Miltiadis genealogiam, Pherecyden et Hellanicum, Herodoto antiquiores rerum scriptores, testes citaverit. Conf. *Sturz.* ad Pherecydis fragmenta p. 89 sqq. Etiam *Aelianus* Var. Hist. XII, 35, qui tres Miltiades distinguendos esse docet, quanquam perperam Cypseli filium a Chersonesi conditore diversum esse scribit, minime tamen illum cum Cimonis filio confudit. Vide praeterea scholion ineditum ad Aristidis Milt. T. III, p. 278, laudatum a Valckenario ad Her. VI, 34.

Sed ne quid dissimulem, pro Nepote esse videtur *Pausanias*, qui lib. VI, c. 19 (p. 498). Miltiadem, Cimonis filium, Chersonesi conditorem vocat. Verum isto loco, ubi obiter tantum huius rei mentio fit, Pausaniam facillime in Miltiadis patris nomine asserendo memoria labi potuisse, in promptu est.

Quae quum ita sint, Nepotem nullo modo gravissimi erroris absolvi posse, dilucide apparet. Nisi forte *Wichertis* (de font. etc. p. 19 sqq.) sententiam probare volumus, qui ad Nepotis fidem tuendam sibi persuasit, eum duas vitas, et Miltiadis, Chersonesi conditoris, et Cimonis filii scripsisse, sed temporis iniuria alteram vitam sine, alteram principio deminutam esse; deinde librariorum incuria haec vitarum fragmenta ita consuta esse, ut integrum primum caput et alterum usque ad verba *Lemnum revertitur* ad Miltiadem maiorem, pertinerent, et quae inde sequuntur omnia ad Cimonis filium referenda essent.

Quae quidem ratio ut speciem habet veritatis, ita nequitiam probari potest novasque creat difficultates. Sic enim primum Miltiades, Cypseli f., insulam a Lemniis postulare, quod a nemine traditur; quo accedit, quod in nullo libro scripto huius mutationis vestigium apparet; denique Cornelium Miltiadis maioris, cuius aetas Medici belli tempora longe excedat, singularem vitam scripsisse, parum est probabile.

Etiam in *rebus Lemniis*, de quibus deinceps nobis disputandum est, narrandis, Nepotem non senel lapsum esse, facile intelligitur. Neque enim Miltiadem tum, quum Athenis Chersonesum proficisceretur, Lemnum adortum esse, neque illo tempore Lemnios id responsum dedisse, quod cap. I, §. 4 legitur, certo colligitur ex Herodoti lib. VI, c. 137 sqq. Ibi enim tradit, Lemni incolas, quos non *Cares* (c. II, §. 5), sed *Pelagos* fuisse idem auctor est, olim Hymettum accoluisse et ab Atheniensibus sedibus suis eiectos esse. Quam iniuriam ut ulciscerentur, postea Brauronem navibus appulisse, magnum feminarum Atticarum numerum rapuisse easque cum sobole ex ipsis pro-

gnata necasse. Propter hanc atrocissimam caedem quum gravissimis calamitatibus a diis vexarentur, oraculum eos adisse ab eoque Atheniënsibus quascunque poenas illi postulassent solvere iussos esse. Quibus ipsam Lemnum poscentibus Pelasgos oraculi effatum ita elusisse, ut artificio usi dicerent: *ἐπεὶν βορέη άνέμω άντημερόν νηῦς ἔξανύσῃ ἐκ τῆς ὑμετέρας ἐς τὴν ἡμετέραν, τότε παραδώσομεν.* (Her. VI, c. 139.) — Ad quem locum facere non possum, quin moneam, Nepotem in verbis, quae illud Lemniorum responsum continent (c. I. §. 5): *tum id se facturos, quum ille, domo navibus proficiscens vento aquilone, venisset Lemnum* praetermisisse vocem *άντημερόν* i. e. *eodem die*; qua omitta tota sententia claudicet necesse est. Nam quid, quaeso, obstitit, quominus borea vento Athenienses vel pluribus diebus Lemnum navigarent? Conf. *Hisely* l. I. p. 12. — Sed ut ad propositum redeamus, Herodotus l. VI, c. 140 addit, longissimo demum tempore post, quam haec facta sunt, Miltiadem *Eleunte*, Chersonesi oppido, profectum ex pacto illo Pelasgis, ut Lemnum Atheniensibus traderent, imperasse. Neque minus errat Nepos scribens: — *ut sibi urbem tradant*: nam duae urbes in insula fuerunt, *Hephaestia* et *Myrina*; quarum priorem statim se dedisse, alteram vi expugnatam esse, idem testis est Herodotus l. c., ad quem locum conferas Valckenarii doctam annotationem.

In extremo cap. II quae leguntur: *Pari felicitate ceteras insulas, quae Cyclades nominantur, sub Atheniensium redegit potestatem* neque ab Herodoto neque ab alio scriptore memorantur; ut magnopere verear, ne haec a Nepote et loco et tempore alieno ponantur atque cum iis quae ipse infra in capitis VII initio narravit, confusa sint.

In capite III, praeterquam quod temporum notatio, quae in ipso initio invenitur: *eisdem temporibus*, infinita est, duae res sunt, quae iure offendant; quarum altera quidem levior, altera multo gravior est. Nam §. 3 ait Cornelius, in expeditione contra Scythas, quum nuntiaretur regem rem male gerere, Miltiadem hortatum esse pontis custodes, ut pontem rescinderent. At si Herodotum l. IV,

c. 137 consulimus, ipsi Scythae Ionibus huius rei auctores fuerunt ac tum demum Miltiades, eorum consilio probato, idem custodibus suasit. — Deinde §. 6 ita pergit: *Miltiades, non dubitans, tam multis consciis ad regis aures consilia sua perventura, Chersonesum reliquit*; quibus verbis efficitur, Miltiadem statim post bellum Scythicum Chersonesum reliquisse. At vero hoc multis demum post annis factum esse, luculentissime apparet ex Herod. VI, c. 40. Hoc enim teste Miltiades non solum in Chersonesum rediit, sed, cum ex probabili *Clintonis* ratione (conf. *Fasti Hellenici* a *Kruegero* germanice conversi p. 16) Olympiade LXVI, 2 sive anno 515 a. Chr. tyrannus factus esset, minimus viginti annos imperium ibi obtinuit; quanquam ei non perpetuo otio frui licuit. Nam Scythae nomades, a Dario rege lacesiti, in Chersonesum irruptione facta Miltiadem eo compulerunt, ut fuga salutem quaereret; postea tamen, quum Scythae discessissent, a Doloncis revocatum imperium recuperavit. Quo anno haec acciderint, quum Herodoti verba, quae huc pertinent: *Ὅστις ὁ Κίμωνος Μιλτιάδης, νεωστὶ μὲν ἐληλύθει ἐς τὴν Χερσόνησον· κατελάμβανε δὲ μιν ἐλθόντα ἄλλα τῶν κατεχόντων πρῆγματα χαλεπότερα· τρίτῳ μὲν γὰρ ἐτεῖ τῶν Σκύθας ἐφευγε* et q. s. obscuritate quam maxima laborent, certo colligi non potest. Cf. interpretes ad VI, c. 40, imprimis *Wesselingium*, qui has difficultates expedire conatus est. Contra ea annum, quo Miltiades Chersonesum reliquerit, certius licet definire ex Herodoti l. VI, c. 41, ubi tradit, Miltiadem, quum Phoenicum classem, Chio et Lesbo insulis occupatis, iam Tenedum appulisse audisset, quinque triremibus instructis, cum opibus Athenas aufugisse; unam earum, cui praecerat filius eius Metiochus, a Phoenicibus captam esse. Quae si conferas cum iis, quae Herodotus c. 31 et c. 42 narrat, Miltiadis reditus in Ol. 71, 4 seu a. 493 a. Chr. cadat necesse est. Cfr. *Clinton. Fast. Hellen.* p. 24. Vers. *Krueger.*

In enarrando primo bello Medico (nam expeditionem, duobus annis ante Mardonio duce factam pro suo consilio praeteriit) Nepos cum *Herodoto* partim convenit; ut in

commemorandis duobus ducibus, Dati et Artapherne, quum alii scriptores, Plato, Plutarchus et Pausanias unum tantum, vel Datum, vel Artaphernem nominent; deinde in afferenda belli causa; postea in nomine *Phidippidis* cursoris *) (Herod. VI, 105 ibiq. Wesseling.) et in iis, quae dicit de decem praetoribus, ab Atheniensibus creatis; denique de auxilio, quod miserunt Plataeenses; partim vero ab illo ita discedit, ut alios eum scriptores secutum esse manifestum sit. **) Quae quidem singula copiosius persequi quum longum sit, nonnulla tamen exempli causa afferre iuvat. Sic Nepos numerum navium Persarum centum minorem fuisse tradit, quam legitur apud Herodotum (cf. VI, 95); peditum numerum, et Persarum et Atheniensium, Herodotus plane praeteriit. Quod Nepos ait c. IV, §. 2. *Eretriam*, Euboeae urbem, *celeriter* captam esse, potest illud quidem cum Herodoti testimonio conciliari, qui septimo obsidionis die hanc urbem, ab Euphorbo et Philagro proditam, in Persarum potestatem venisse tradit (cfr. VI, 101.) Sed magis offendunt, quae leguntur cap. IV, §. 4: *Inter quos magna fuit contentio, utrum moenibus se defenderent, an obviam irent hostibus acieque decernerent*: etenim secundum Herodotum VI, 109 sq. non de hoc contendebant praetores, „utrum moenibus se defenderent,“

*) Quod *Daehnius* ad c. IV, §. 3. *Phidippidis* nomen pro appellativo, „quod de eo dicatur, qui in celeri cursu pedibus utitur parcitque equis“ habendum esse opinatus est, imposuisse videtur viro docto faceta huius nominis mentio in *Aristophanis Nubibus* v. 67. et *Wielandii* huius loci explicatio in *Mus. Att.* P. II, fasc. 2. p. 75. De loco Aristophaneo conferas *Parerga lexilogica* Viri D. *Graefenhani* in *Zimmermanni Annal. schol.* a. 1828. N. 68. p. 553 sqq., ubi omnes de *Phidippidis* nomine veterum loci accurate recensentur.

**) Hac dissensione *J. H. Schlegelii observ. crit. et hist.* p. 189 (in ed. Panck.) inductus est, ut Herodoti opus unquam in Corn. Nepotis conspectum venisse, plane negaret. Aliter et recte, opinor, iudicarunt *Moschius* ad h. l. (cf. ed. Bardil.) *Wichers*, alii.

quod scilicet a re fuisset alienissimum, quum Athenas iam reliquissent (cf. l. I. c. 103); sed id agebatur, utrum proelio decernerent, nec ne. Neque solius Miltiadis „auctoritate impulsu Athenienses copias ex urbe eduxerunt“ (c. V, §. 2.), sed, quum decem praetores in duas partes discessissent, Miltiades undecimum, Callimachum Aphidnaeum, qui Polemarchi munere fungebatur, apta oratione commovit, ut suae sententiae accederet; quo factum est, ut proelium committere decerneretur. Nec tamen Miltiadem prius conflixisse, Herodotus ait, quam summa imperii, quae penes singulos singulis diebus erat, ad ipsum delata esset. Cfr. Wichers l. c. p. 26.

Etiam quae proxime sequuntur Nepotis verba: *Deinde postero die* et q. s. longe ab Herodoti fide discrepant: is enim l. VI, c. 110 testatur, aliquot diebus post, quam urbe egressi essent praetores, proelium esse commissum.

In proelio ipso describendo parum Nepos cum Herodoto consentit; nisi forte verba: *vi summa proelium commiserunt* (cap. V, §. 2.) cum Herodoteis l. I. c. 112: *οἱ Ἀθηναῖοι δρόμῳ ἔντρο ἐς τοὺς βαρβάρους* comparare velis.

Ille enim nec locum, ubi pugnatum est, circa Marathonon montibus obtectum fuisse tradit *); neque *novae artis*, qua, nimirum ad impediendum Persarum equitatum, „multis locis arbores stratae erant“, ullam mentionem facit. Denique quod Nepos scribit, „decemplicem ab Atheniensibus numerum hostium profligatum esse“, non plane cum Herodoto convenit, qui tantum sex millia et quadringentos Persarum, Atheniensium centum nonaginta duo cecidisse prodidit (l. I. c. 117.) Contra ea quae in

*) Conf. *Otofr. Muellerum in Erschii et Gruberi Encycl. litt. T. VI. p. 217* sub v. Attica, iuprimis *cel. Fr. Thierschium in Actis primi conventus philologorum a. 1838 p. 37—39*, ubi cum de natura Marathonii campi, tum de Miltiadis aciem instruendi ratione elegantissime disseruit Nepotisque narrationem *de arboribus stratis*, quam etiam *Frontinus* lib. II, c. 9 tradidit, probabilem esse monstravit, quippe quum etiamnum una illius regionis parte virgulta conspicua essent.

fine capitis leguntur: „Persas perterritos non castra, sed naves petiisse“ satis congruunt cum Halicarnassei narratione, qui addit, Athenienses septem naves barbarorum cepisse (ib. c. 113 et 115.)

In proximo capite (VI) quae leguntur de honore Miltiadi tributo, ut in porticu, quae *Ποιζίκη* vocabatur, depingeretur, ea ab Herodoto non memorantur, qui tantum dicit l. VI, c. 132 init., Miltiadem, quum antea iam gloria florisset, post pugnam Marathoniam magis etiam crevisse; verum multi sunt de hac re alii scriptores, quos interpretes ad h. l. citarunt, inprimis *Aeschines*.

Cuius verba si diligentius consideraveris, iam non dubitabis accedere ad *Longolii* et *Lambini* sententiam, qui Nepotem toto hoc loco *Aeschinis* orationem in *Ctesiphontem* ante oculos habuisse suspicati sunt. Conferas, quaeso, ea quae hic leguntur: *Ut enim populi nostri honores quondam fuerunt rari et tenues, ob eamque causam gloriosi, nunc autem effusi atque obsoleti: sic olim apud Athenienses fuisse reperimus — cum iis, quae sunt apud Aeschinem l. I. c. 59 §. 4. ed. J. Bekker.: Δωρεαὶ δὲ καὶ στέφανοι καὶ κηρύγματα καὶ σιτήσεις ἐν πρωτανείῳ πότερον τὸτ' ἦσαν πλείους ἢ νυνί; Τότε μὲν ἦν σπάνια τὰ καλὰ παρ' ἡμῶν καὶ τὸ τῆς ἀρετῆς ὄνομα τίμιον, νῦν δ' ἤδη καταπέλνται τὸ πρᾶγμα καὶ τὸ στεφανοῦν ἕξ ἔθους ἀλλ' οὐκ ἐκ προνοίας ποιῆσθε κ. τ. λ.* Fugit hic locus *Wichertem* l. c. p. 100; recte tamen idem *V. D.* ea quae sequuntur inde a verbis: *Namque huic Miltiadi usque ad proeliumque committeret ex eiusdem Aeschinis orationis cap. 62 §. 6 sq.: ἐνταῦθα ἢ ἐν Μαγαθῶν μάχῃ γέγραπται κ. τ. λ.* sumta esse suspicatur.

In exponenda *expeditione Paria* Nepotem Herodoti nullam rationem habuisse, haud temere colligitur statim ex capitis septimi initio: *Post hoc proelium classem LXX navium Athenienses eidem Miltiadi dederunt*: Herodotus enim in lib. VI, c. 132 Miltiadem ab Atheniensibus has naves cum exercitu et pecunia petisse iisque pollicitum esse tradit, se divitiis eos aucturum.

Etiam ea, quae Nepos ait de luco in continenti subito accenso ac de Miltiadis vulnere in oppugnanda urbe accepto, apud Herodotum non inveniuntur. Neque id mirum: nam Halicarnasseus ipse cap. 134, variam hac de re inter Graecos famam divulgatam fuisse, ac se Pariorum maxime narrationem probare ait ita narrantium: Miltiadem, quum a sacerdote Paria, cui nomen Timo, adiutus sepem templi Cereris transiliret, in femore laesum esse atque, oppido per viginti sex dies oppugnato insulaque depopulata, infectis rebus Athenas rediisse (c. 135). Ex quo fonte Nepos suam narrationem petiverit, primus indicavit *Lambinus*, deinde repetiit *Wichers* l. l. p. 73 sq.; etenim apud *Stephanum Byzantium* περὶ πολέων sub v. Πάρος fragmentum invenitur ex *Ephoro* sumtum, quod paene ad verbum cum Nepote congruit. Quod ut melius perspiciatur, et fragmentum ipsum et Nepotis verba describamus: Ὁ δὲ Μιλτιάδης, τῶν μὲν ἄλλων νήσων τινὰς ἀποβύσεις ποιησάμενος ἐπόρθησε. Πάρον δὲ εὐδαιμονεστάτην καὶ μεγίστην οὖσαν τότε τῶν Κυκλάδων καθεζόμενος ἐπολιόρει πολὺν χρόνον, τῆς θαλάττης εἰργων καὶ κατὰ γῆν μηχανήματα ἄγων. Ἦδη τῶν τειχῶν πιπτόντων καὶ ἐπὶ τὸ παραδιδόναι τὴν πόλιν (adde τῶν Παρίων) διωμολογημένον, ὕλης τινὸς ἐξ αὐτομάτου περὶ τὴν Μύζονον ἔξαρθείσης, οἱ μὲν Πάριοι τὸν Δάτιν αὐτοῖς πρῶτον ἐπολαβόντες, ἐψεύσαντο τὰς ὁμολογίας καὶ τὴν πόλιν οὐκέτι τῷ Μιλτιάδι παρέδοσαν. Nepotis verba haec sunt: Nonnullas vi expugnavit: ex his Parum insulam, opibus elatam, quum oratione reconciliare non posset, copias e navibus eduxit, urbem operibus clausit omnique commeatu privavit; deinde vineis ac testudinibus constitutis propius muros accessit. Quum iam in eo esset, ut oppido potiretur, procul in continenti lucus, qui ex insula conspiciebatur, nescio quo casu, nocturno tempore incensus est: cuius flamma ut ab oppidanis et oppugnatoribus est visa, utrisque venit in opinionem signum a classariis regis datum. Quo factum est, ut Parii a deditione deterrentur. Duo tamen sunt offensionis, primum quod verba ἐψεύσαντο τὰς ὁμολογίας, e quibus de urbe dedenda pactionem fac-

tam esse apparet, minus recte expressa sunt; deinde quod addidit Nepos: *vincis ac testudinibus constitutis* et q. s.; qua in re eum *ἀναχρονισμοῦ*, quem vocant, vitio lapsum esse, confirmatur ex Plutarchi vita Periclis c. 27 et Diodori l. XII, c. 28, qui prodiderunt, primum a Pericle, quum Samum insulam obsideret, machinas bellicas adhibitas esse, ab Artemone Clazomenaeo fabricatas. Conf. etiam de hac re *Wachsmuthii* Antiquit. Hellen. T. II, P. I. p, 403 et 420. —

Superest ut notentur, quae §. 5 contra scriptorum fidem leguntur: *Accusatus ergo proditionis, quod, quum Parum expugnare posset, a Rege corruptus infectis rebus discessisset*; quae Nepotem et ipsa ex Ephoro sumsisse, veri simile est. Herodotus enim l. VI, c. 136 testatur, Miltiadem a Xanthippo propter fraudem Atheniensibus illatam (*τῆς Ἀθηναίων ἀπάτης ἐνεκεν*) in ius vocatum, ac non *Tisagora* fratre, quem Herodotus *Stesagoram* nominat ac tum temporis iam obiisse ait, sed amicis defendentibus capitis quidem absolutum, sed propter iniuriam (*κατὰ τὴν ἀδικίαν*) multa quinquaginta talentum damnatum esse (c. 136). Idem tradunt *Iustinus* l. II, c. 15 et *Seneca* controv. IX. 1; quin Nepos ipse ad rei veritatem accedere videtur, quum paulo post „Miltiadis litem tanti aestimatam esse dicit, quantus in classem sumtus factus erat.“ Si quis vero mireretur, Miltiadem propter peculatum in capitis iudicium vocatum esse, is meminerit, etiam propter leviores causas Athenis morem fuisse capitis accusare. De qua re adissis, *Wachsmuthii* Antiq. Hell. T. II, P. I, p. 187 et p. 254. De Miltiadis causa conferas etiam *Schlosseri* hist. univers. T. I, P. II, p. 25.

II. Themistocles.

In huius vita conscribenda quamquam Nepos melioribus, quam in Miltiade, fontibus, imprimis *Thucydide*, quem ipse bis nominat, cap. I, §. 4 et c. IX in., usus est, saepius tamen eum a manifesta fide discrepare pluribus

exemplis demonstrabimus. Ita statim in iis, quae leguntur cap. I, §. 2: *Pater eius Neocles — uxorem Acharnanam civem duxit*, in errore deprehenditur. Nullus enim veterum scriptorum Neoclis uxorem *Acharnanam*, sed omnes peregrinam fuisse prodiderunt. Conf. Plutarchum in vit. Themist. c. 1, qui disertis verbis ait: *νόθος δὲ πρὸς μητρὸς*; quamquam de patria uxoris varie scriptum esse idem proficitur; alios enim *Thressam*, nomine *Abrotonum*, Phanium *Carinam*, nomine *Euterpen*, Neanthem *Halicarnasseam* (ex Caria) dixisse. Etiam ex Herodoto l. VII, c. 143, Themistoclem novum quasi hominem fuisse recte colligitur. Quae quum ita sint, nisi cum aliquot interpretibus ad h. l. vel *Carinam*, vel *Halicarnassiam* corrigere volueris, quae coniectura a constanti librorum fide longissime recedit, Nepotem properantia lapsus esse concedendum est. Restat, ut breviter moneamus, in Nepotis verbis legendum esse *Acharnanam* i. e. *Acharnensem*, quod derivatum est a demo Attico, qui *Ἀχάρνα* vocabatur et ad Oeneidem tribum pertinebat; non *Acarνανam*, quod est in nonnullis libris: nam ab Acarnania nomen gentile deducitur *Acarnan* et fem. *Acarnanis*, teste Stephano Byz. sub v. *Ἀχαρνᾶντα*. Cf. *Bosius* ad h. l.

Quae paulo post narrantur, Themistoclem, priusquam ad rem publicam accessisset, liberius vixisse ideoque a patre exheredatum esse, haec ab aliis quoque scriptoribus tradita esse, testis est *Athenaeus* l. XII, p. 533 et 553; XIII, p. 576; *Valer. Maximus* VI, c. 9. Ext. 2. atque *Plutarchus* vit. Them. c. 2. Idem tamen l. l. et hanc Themistoclis abdicationem et matris, quae filii turpitudinem gravissime tulerit, mortem voluntariam pro fictis habenda esse affirmat; quod recte *Heusingerus* ad h. l. probare mihi videtur. Contra ea *Hisely* de f. et auct. C. p. 20. Nepotis fidem tueri conatus est.

Iam brevis, quae subsequitur Themistoclis ingenii descriptio, ut Nepos ipse fatetur, tota fere ex *Thucydide* sumpta est. Nam verba: *celeriter quae opus erant reperiebat; neque minus in rebus gerendis promptus quam excogitandis*

erat expressa sunt ex Thucydidis lib. I, c. 138: φύσιως μὲν δυνάμει, μελέτης δὲ βραχύτητι, κράτιστος δὲ οὗτος αὐτοσχεδιάξειν τὰ δέοντα ἐγένετο; deinde haec: quod de instantibus verissime iudicabat et de futuris callidissime coniciebat plane respondent Thucydideis: τῶν δὲ παραχρῆμα δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γρόμων καὶ τῶν μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής, nisi quod, ut recte cl. Goellerus ad h. l. monet, Latinorum more non ad verbum translata sunt.

In cap. II. Nepotem et initio, ubi scribit: *Primus autem gradus fuit capessendae rei publicae bello Corcyraeo, ad quod gerendum praetor a populo factus et q. s., et §. 3, ubi haec leguntur: Qua (sc. classe) celeriter effecta primum Corcyraeos fregit* memoria lapsum esse, manifestum est. Neque enim quisquam scriptorum veterum Atheniensibus tum temporis cum *Corcyraeis* bellum fuisse eosque proelio navali superatos esse, memoriae prodidit, sed ad unum omnes *Aeginetici* belli mentionem faciunt; quod quidem instante Medico terrore compositum esse affirmant. Conferas Herod. VII, c. 144 sq., Thuc. I, c. 14 fin. et Plutarch. V. Them. c. 4.

In tanto gravissimorum auctorum consensu nemo non videt, quo loco *Andrae Schotti* commentum habendum sit, qui ad Nepotis fidem tuendam haec verba Plutarchi V. Them. c. 24: (Θεμιστοκλῆς) γενόμενος γὰρ αὐτῶν (sc. Κερκυραίων) κριτῆς πρὸς Κορινθίους ἐχόντων διαφορὰν, ἔλυσε τὴν ἐχθρὰν etc. in auxilium vocavit: quum enim ex hoc loco, si diis placet, plane contrarium, atque voluit V. D., colligendum sit; tum in omnibus fere Nepos, quae de hoc bello scripsit, si a nomine discesseris, optime cum Herodoto, Plutarcho, aliis consentit. Neque magis *Lambini* eumque qui secutus est *Wichertis* sententia probari potest, qui, invitis omnibus libris scriptis, h. l. pro *Corcyraeo Aeginetico* et §. 3 *Aeginetas* reponenda esse putaverunt.

Quod Nepos ex pecunia *Lauriotica* centum naves, Herodotus vero l. c. *ducentas* aedificatas esse ait; non est, quod ille erroris arguatur: immo si comparaveris quae

scripsit §. 3: *addunt ad superiores totidem naves triremes,* egregie cum aliis eum convenire intelliges. Cf. etiam *Wichers* p. 28 et *Hisely* l. c. p. 22.

Ea vero, quae §. 3 leguntur: *deinde maritimos praedones consecrando mare tutum reddidit* haud scio an Nepos ex suo ingenio addiderit: Herodotus enim diserte ait l. l.: *αἱ δὲ νῆες, ἐς τὸ μὲν ἐποιήθησαν, οὐκ ἐχρήσθησαν· ἐς δέον δὲ οὕτω τῇ Ἑλλάδι ἐγένοντο.*

§. 5. De numero navium ac militum, quem Nepos et hic et cap. III. inivit, satis sit laudasse interpretes ad h. l.; praesertim quum hac in re vel optimos scriptores inter se discrepare, inter omnes constet. Hoc unum animadverto, in recensendis Persarum navibus Nepotem cum *Aeshylo* (Pers. v. 341) et cum Herodoto VII, 89 egregie convenire, nisi quod uterque mille et ducentis navibus *septem* addit. Quae §. 7 leguntur: *Id. responsum quo valeret, quum intelligeret nemo, Themistocles persuasit* et q. s. aliquanto discrepant ab Herodoti narratione, qui l. VII, c. 142 sq. ait, plures τῶν χρησμολόγων ab Apolline naves significari coniecisse eorumque interpretationem postea demum a Themistocle civibus probatam esse.

Nec tamen haec discrepantia tantum valet, ut cum *Stavereno* ad h. l. aliis Nepotem scriptoribus usum esse statuendum sit. Conf. *Wichers* l. l. p. 30, qui mecum facit.

Magis offendunt §. 3 haec verba: „*Tali consilio probato — sua omnia, quae moveri poterant, partim Salamina, partim Troezena asportant.*“ Quo loco Nepotem tempora perturbasse, in propatulo est. Nam ea quae hic narrantur non ante Persarum adventum, sed demum post pugnam ad Artemisium factam accidisse, luculentus testis est Herodotus VIII, 41, qui praeterea *Aeginam* Atheniensibus per fugium praeuisse tradit.

Cetera, quae Cornelius inde a cap. III narrat de ancipiti apud Artemisium proelio, de Thermopylis a Xerxe expugnatis, de arte, qua Themistocles Eurybiadi, ut maneret, persuasit; de callido eius consilio, quo Regem ad

confligendam induxit, ac de pugna Salaminia (c. IV); denique de altero Themistoclis consilio, quo Regem ad fugam ex Graecia commovit (c. V); haec igitur omnia ita cum Herodoti narratione consentiunt, ut ex eo sumta esse persuasum habeamus.

Quanquam ne hic quidem Nepos erroribus plane immunem se praestitit; ut cap. IV, §. 2: *idque Eurybiadi, regi Lacedaemoniorum, qui tum summae imperii praecerat, fore affirmabat*: Herodotus enim contra ea VIII, 42 diserte ait: *Εὐρυβιάδης ὁ Εὐρυκλείδew, ἀνὴρ Σπαρτιήτης, οὗ μέντοι γένεός γε τοῦ βασιλῆϊου ἑών*. Conf. etiam *Clintonis Fast. Hellen.* Append. III de Spartanorum regibus p. 226, unde apparet, illo tempore Sparta regnasse ex Agidis *Plistarchum, Leonidae*, qui apud Thermopylas cecidit, filium pupillam, ex Proclidis *Leotychidem*. Neque minus Nepotis negligentia reprehendenda est cap. V, §. 2, ubi scripsit: *Itaque quae sex mensibus iter fecerat (Xerxes), eadem minus diebus triginta in Asiam reversus est*. Namque ut hoc ei largiamur, quod *triginta* diebus Xerxem in Asiam rediisse ait, quum Herodotus VIII, 115 dies quindecim addat: quomodo vero fidem eius tueamur, qui tam parum sibi ipse constet, ut hoc loco Xerxem *sex mensibus* in Europam iter fecisse, et in vit. Agesilai c. IV *integrum annum* huic itineri insumsisse scribat?

Reliquam partem vitae Themistoclis totam ex *Thucydide* sumtam esse, non effugit Nepotis interpretes; sed in utriusque verbis inter se comparandis iidem parum diligentes fuerunt. Quare operae pretium est, quam fide Nepos auctorem suum secutus sit, accuratius videre.

Atque ea quae cap. VI et VII leguntur, „Themistoclis consilio triplicem Piraei portum constitutum murosque Athenarum restitutos esse“ omnino satis accurate expressa sunt ex Thuc. lib. I, c. 90 et 93; neque minus ea, quae sequuntur de Spartanorum, qui „Athenienses aedificantes prohibere conati sunt“, legatis remissis ac de Themistoclis legatione. Cf. Thuc. I, 91 sq. In singulis tamen Nostrum

nimia festinatione lapsum esse aliquoties, iam breviter ostendamus.

Quum enim scribit c. VI, §. 4: *His (Spartanorum legatis) praesentibus desierunt et q. s.*, a Thucydide discrepat, qui c. 90 med tantum dicit: *Οἱ Ἀθηναῖοι, Θεμιστοκλέους γγώμη τοὺς μὲν Λακεδαιμονίους ταῦτ' εἰπόντας — εὐθὺς ἀπήλλαξαν.* Ad quem locum notandus est error magni Lambini, qui priorem et alteram Lacedaemoniorum legationem confudit. Cf. Ed. *Bardil.* T. I, p. 100.

In cap. VII ut facile Nepoti concedimus, quod plura Romanorum more liberius reddidit, ita excusari non potest, quod auctorem suum perperam intellexit; ut §. 3, ubi ait: *tres legati, functi summis honoribus, Athenas missi sunt. Cum his collegas suos Themistocles iussit proficisci eisque praedixit, ut ne prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent, quam ipse esset remissus.* Nam ut praeteream, Spartanorum legatorum numerum a Thucydide non definiri, Themistocelis collegas, quorum alter fuit *Abronychus*, Lysiclis filius, alter *Aristides*, Lysimachi filius, non cum Spartanorum legatione profectos esse, sed cum ipso Sparta remansisse, Thucydides I, c. 91 testatur. Idem tradit h. l., Themistoclem non per legatos, sed per nuntios clam missos Atheniensibus illud consilium dedisse: *περὶ αὐτῶν ὁ Θεμιστοκλῆς τοῖς Ἀθηναίοις κόρυφα πέμπει, ζελεύων — μὴ ἀφιέναι, πρὶν ἂν αὐτοὶ κομισθῶσιν.* Denique orationis, quam Nepos, Thucydidem secutus, Themistoceli tribuit, extrema verba. *Quare si suos legatos recipere vellent, — se remitterent et q. s.* ab ipso afficta sunt: quum Thuc. I, c. 92 prodiderit, Lacedaemonios, quanquam iratos Atheniensibus, dolorem suum tamen occultasse ac, nulla conditione interposita, legatos utrinque missos sua sponte (*ἀνεπικλήτως*) domum rediisse.

Cap. VIII, ubi legimus, Themistoclem, in exilium missum, Argis commoratum ac Spartanis auctoribus absentem prodicionis damnatum esse, expressum est ex Thuc. I, 135, quocum plane consentit *Plutarchus Vit. Them.*, c. 24. *Diodorum Sic.*, qui rem aliter narrat. XI, 56 non moror. Etiam in iis, quae

Nepos scribit de Themistoelis fuga ad Admetum, Molossorum regem, quanquam his a ducis sui vestigiis deflectit, primum in verbis: *cum quo ei hospitium fuerat*, quum contra ea Thuc. ib. c. 136 habeat ὄντα αὐτῷ οὐ φίλον; deinde quod tradit Themistoelē non *filium*, sed *parvulam filiam* Admeti arripuisse; etiam in his, inquam eum non alios scriptores, ut Magius et Bosius coniecerunt, sed eundem Thucydidem secutum esse, recte monuerunt *Wichers* l. c. p. 37 et *Hisely* l. l. p. 25. Etenim si a duabus his rebus discesseris, reliqua cum Thucydidis narratione egregie concinere, nonnulla vel ad verbum ex illo expressa esse intelliges. Compares modo Nepotis verba: *Huc quum venisset et in praesentia Rex abesset* cum his Thucydideis: καὶ ὁ μὲν οὐκ ἔτυγεν ἐπιδημῶν κ. τ. λ. Quae quum ita sint, Nepotem hic quoque, sive incuria, sive ἀμαρτήματι μνημονικῶν lapsum esse, confiteri oportet, minimeque *Hiselyus* audiendus est, qui ad fidem Nepotis tuendam verba: *cum quo ei hospitium fuerat* cum *Magio*, quem *Daehnius* secutus est, ita explicanda putat: „Ei cum Admeto hospitium erat non in praesentia, sed fuerat olim et quidem antequam Admetus ab Atheniensibus, suadente Themistoelē, repulsam tulisset.“ Quam quidem explicandi rationem nimis artificiosam ideoque minime probandam esse, non est quod pluribus demonstretur. *) Neque in eo eiusdem V. D. sententiae possum accedere, quod, invitis omnibus libris scriptis, pro *parvulam filiam* parvulum filium in verbis Nepotis reponendum esse putat.

In eiusdem cap. §. 6: *Hic in navem omnibus ignotus nautis ascendit* cum interpretibus, qui *nautis* vocabulum, a plurimis codicibus confirmatum, glossema esse iudicant, equidem haerendum esse non existimo; his enim verbis Nepos expressit Thucydidea I, c. 137: ἦν γὰρ ἀγνώστῳ τοῖς

*) Conferas *Bremii* annotationem ad h. l., ubi *Heusingerum* ad Ciceronem de off. III, 21, 4 secutus, *fuerat* h. l. pro *erat* dictum esse docet. Exemplum *Cornelianum* nostro simile est *Phoc.* IV, 3: — *Obvius ei fuit Emphyletus, quo familiariter fuerat usus.*

ἐν τῇ νηΐ, quibus et nautas et vectores significari, in propatulo est.

Quae in cap. IX invenitur Themistoclis ad Artaxerxem epistola ad verbum fere expressa est ex Thuc. I. c., nisi quod veterum more Nepos alia paulo liberius, quam nos solemus, alia minus recte convertit. Sic verba: ὅς καὶ μὲν πλεῖστα Ἑλλήνων εἰσθασμαι τὸν ὑμέτερον οἶκον κ. τ. λ. reddere debuit: „qui plurima mala omnium Graecorum in regnum tuum intuli“, non in domum tuam. Conf. cl. Goeller. ad Thuc. I. c. et Wesseling. ad Herod. V, 31; VI, 9; IX, 106, quibus locis confirmatur, οἶκον vocabulum proprie regnum regiamque familiam significare. Deinde verba γράψας τὴν ἐκ Σαλαμῖνος προάγγελσιν τῆς ἀναχωρήσεως καὶ τὴν τῶν γεφυρῶν, ἣν ψευδῶς προσποιήσατο, τότε δὲ αὐτὸν οὐ διάλυσιν, quae Thucydides παρενθετικῶς enuntiavit, Nepos immutata oratione ita extulit: Nam — litteris cum certiores feci, id agi, ut pons, quem in Hellesponto fecerat, dissolveretur etc.; atque illa verba: τὴν ἐκ Σαλ. προάγγελσιν τῆς ἀναχωρήσεως, quae ad priorem Themistoclis nuntium, ante pugnam Salaminiam ad Xerxem missum, „Graecos in fuga esse“ (cf. c. IV), non ad Xerxis fugam referenda sunt, plane omisit. Conf. Goelleri annot. ad h. l.

In cap. X, ubi agitur de morte Themistoclis, aliter ab aliis narrata, Nepos ipse Thucydidem auctorem sese probare profitetur. Conf. Thuc. I, c. 138 ubi haec leguntur: Νοσήσας δὲ τελευτᾶ τὸν βίον · λέγουσι δὲ τινες καὶ ἐκούσιον φαρμάκῳ ἀποθανεῖν αὐτὸν — · μνημεῖον (i. e. sepulcrum) μὲν οὖν αὐτοῦ ἐν Μαγνησίᾳ ἐστὶ τῇ Ἀσιασῇ ἐν τῇ ἀγορᾷ. Sed unum apud Nepotem invenitur, in quo iure offendas: quid enim in iis, quae leguntur §. 4: sepulcrum prope oppidum, in quo est sepultus, statuæ in foro Magnesiae ista verba: in quo est sepultus sibi velint, equidem non assequor, sive ad sepulcrum, sive ad oppidum referuntur. Nam si illud probamus τάντολογία nascitur non ferenda; sin hoc volumus, sententia esset: prope oppidum Magnesia; quae quidem manifestae ceterorum scriptorum fidei

repugnaret, qui Themistoclem *in ipso foro Magnesiae* sepultum esse tradunt. Compares, quaeso, praeter Thucydidem *Plutarchum* Them. c. 32 et *Diod. Sic.* XI, c. 58. Fuisse tamen posterioribus etiam temporibus alterum Themistoclis sepulcrum, seu potius *κενοτάφιον*, prope Athenas ad maximum Piraei portum, testes sunt *Pausan.* Attic. l. I, p. 3: καὶ νεὸς καὶ ἐς ἐμὲ ἦσαν οἴκοι καὶ πρὸς τῷ μεγίστῳ λιμένι τάφος Θεμιστοκλέους et *Diodorus Periegetes* apud *Plutarchum* l. c.; atque hoc ipsum sepulcrum h. l. significari, veri simile est. Quam ob causam, nisi Nepotem hic quoque dormitasse existimare volumus, haec verba cum *Bremio*, qui ea a librario *oppidum* vocis significatum ignorante afficta esse putat, eiicienda esse existimo; qua quidem mutatione omnia sunt expedita: *oppidum* enim dictum est pro *Athenis*, ut *Milt.* IV, 1; *Them.* II, 8; *Alcib.* III, 2; eodem modo, quo Graeci ἄστυ usurpant. *)

Denique Nepos Thucydidis verba l. c.: τὰ δὲ ὄσα φασὶ κομισθῆναι αὐτοῦ προσήκοντες οἴκαδε, κελύσαντος ἐκείνου, καὶ τεθῆναι κρύφα Ἀθηναίων ἐν τῇ Ἀττικῇ negligentius convertit: *Idem ossa eius clam in Attica ab amicis sepulta — memoriae prodidit*, quum ita reddere debuerit: „Ossa eius reportata domum esse, tradunt propinqui eius, ipsius iussu, et clam Atheniensibus in Attica humata.“ Ad quem locum conf. cl. *Goelleri* annotatio.

*) Quum haec iam scripta essent, ex *Musei Rhenani* Part. II, fasc. 3. p. 337 sq. cognovi, etiam *Dederichium* V. D. verba: *in quo est sepultus* pro spuriis habuisse totumque locum, qui est de Themistoclis monumentis: *Huius ad nostram mem. — statuae in foro Magnesiae*, ut cum sequentibus male coniunctum, loco movendum atque in extremo capite post verba: *memoriae prodidit* ponendum esse censuisse. Quae quidem transpositio quanquam audacior est, tamen haud scio an probanda sit atque hic locus iis annumerari debeat, quos supra ab *Aemilio Probo* interpolatos esse significavimus.

III. Aristides.

In huius viri vita enarranda id magis egisse videtur Cornelius, ut mores eius atque ingenium describeret, quam ut res ab eo gestas explicaret. Qua quidem re factum esse existimandum est, ut plura, quae memoratu digna essent, plane praetermitteret. Neque eo magis in hac brevitate Nepotem a levioribus certe erroribus cavisse, duobus exemplis confirmatur, quae in I cap. inveniuntur. Primum enim in narratiuncula illa de Aristidis *ὄστρακισμῶ* a Plutarchi fide discedit, quanquam utrumque eodem fonte usum esse veri simillimum est. Is enim et in vita Arist. c. 7, et in Apophthegm. p. 186 constanter scribit, illiteratum quendam et plane rudem Aristidi testulam obtulisse ab eoque petisse, ut Aristidis nomen inscriberet; idemque rusticum illum non ea quae hic leguntur: — *sibi non placere, quod tam cupide elaborasset, ut praeter ceteros Iustus appellaretur* loquentem facit, sed haec: *ἀλλ' ἐνοχλοῦμαι πανταχοῦ τὸν Δίκαιον ἀκούων*; quae quidem et rei magis consentanea, et Aristidis persona digniora esse videntur.

Deinde magnopere dubito, rectene Nepos scripserit: — *sexto fere anno, quam erat expulsus, populi scito in patriam restitutus est.* Plutarchus enim in vita Arist. c. 8 tertio anno hoc factum esse ait: *τρίτῳ ἔτει, Ξέρξου διὰ Θεσσαλίας ἐλαύνοντος*; quod probat Clinton in *Fast. Hellen.* ad ann. 483 sive Ol. LXX, 2, in eo tamen a Plutarcho dissentiens, quod Aristidem non ante Salaminiam pugnam, sed tempore inter hanc pugnam et proelium Plataeense, quod decem post mensibus factum esse constat, interiecto revocatum esse existimat. Itaque Nepos initio cap. II recte dixit: *Interfuit pugnae navali apud Salamina, quae facta est prius, quam poena liberaretur*; quod confirmatur Herodoti auctoritate l. VIII, c. 79. Cf. etiam Wesseling. ad cap. 95, qui bene observat, Aristidem *αὐτόκλητον*, i. e. sponte sua, nullo populi scito, proelio illi interfuisse. Perperam vero §. 2 scriptum est: *Neque aliud est ullum*

huius in re militari illustre factum, quam huius imperii (sc. apud Plataeas) *memoria*; Plutarchus enim vit. Arist. c. 5 Aristidem in proelio Marathonio inter decem praetores Miltiadi proximum locum obtinuisse prodidit. Cf. *Magius* ad h. l., qui falso ad hanc rem etiam Thucydidem laudavit. — Quae mox leguntur cap. II et III de Pausaniae intemperantia, qua factum est, „ut summa imperii maritimi ab Lacedaemoniis transferretur ad Athenienses“, de aerario Delum collato, petita sunt ex Thucydidis lib. I, c. 18, 95 sq. et 130.

Superest, ut leviter tangamus extrema verba cap. III: *Decessit fere post annum quartum, quam Themistocles Athenis expulsus erat.* Quam quidem temporis notationem veram esse, censet *Clinton* in *Fast. Hell.* p. 38; atque quum ex testimoniis Thucyd. I, 135, Plutarchi Them. 23 et Diodori XI, 54, Themistocles Ol. LXXVII, 2, sive anno 471 ostracismo expulsus sit, mortem Aristidis Ol. LXXVIII, 1, sive a. 468 a. Ch. ponit. Contra ea Plutarchus anno ante sive 469 a. Ch. Aristidem obiisse tradit in vita Pericl. c. 7; quod probatur C. G. *Kruegero* ad *Fast. Hell.* p. 38 sq. et in *Iabnii Annal. phil. et paedag.* I, 2. p. 228 sqq. Equidem ἐπέλω.

IV. Pausanias.

Quae Cornelius de Pausaniae rebus exposuit, maximam partem ex *Thucydide* sumta esse, manifestum est. Num etiam *Herodoto* usus sit, quanquam dubitari potest, tamen ab *Hiselyi*, qui illud affirmavit, sententia equidem non abhorreo.

Nam si a copiarum numero, quem Herodotus eumque qui secutus est Plutarchus init. vit. Arist. trecenta millia Persarum et quinquaginta millia Graecorum auxiliarium fuisse tradunt, discesseris, in narrando Plataeensi proelio (cap. I.) optime Nepos cum illo consentit. Neque haerendum est in eo, quod Nepos *Mardonium* Regis (sc. Xerxis) *generum* appellat, quum Darii filiam in matrimonio ha-

buerit; (Herod. V, 43) recte enim etiam sororis maritam, quanquam rarius, *generum* appellari, probavit *Bosius* ad h. l. collato *Iustini* loco l. XVIII, 4, 8, ubi *Sichaeus* *Pygmalionis*, cuius sororem duxerat, gener vocatur.

De verbis: *haud ita magna manu Graeciae*, quae mira tibi videantur, quum *Herodotus* IX, c. 30 centum et decem millia Graecorum militum fuisse scribat, vide doctam *Moschii* annotationem in edit. *Bardil.* et *Bremium* ad h. l. De re ipsa legatur *Herod.* IX, c. 64, ubi *Mardonium* a *Spartiatia Acimnesto* in proelio occisum esse narratur.

Quae mox leguntur §. 3: *Qua victoria elatus plurima miscere coepit et maiora concupiscere* egregie illustrantur duobus *Aristotelis* *Politicorum* locis V, 1, 5 et V, c. 7, unde apparet, *Pausaniam* id molitum esse, ut ephorum magistratu sublato solus imperium occuparet. Conf. etiam *C. F. Hermannii Antiq. Graec.* pag. 87, not. 11, et quae cap. III, §. 6 exstant: *Hos (Helotes) quoque sollicitare spe libertatis existimabatur*, coll. *Thucyd.* I, c. 132. Versus, qui proxime a *Cornelio* afferuntur, ad verbum fere expressi sunt ex *Thucyd.* l. I, 133; minus tamen recte se habent verba: *quod ex praeda tripodem aureum Delphis posuisset.* Nam ex *Thucyd.* l. I. et ex *Herodoto* l. IX, c. 81 efficitur, non *Pausaniam* ipsum, sed potius Graecos, inprimis *Lacedaemonios*, ex manubiarum primitiis hunc tripodem *Delphico Apollini* consecrasse.

Cap. II. Litteras a *Pausania* ad *Xerxem* missas et quae sequuntur usque ad verba: — *a se repulsam laturum* elegantissime *Nepos* ex *Thucyd.* I, c. 128 med. et cap. 129 reddidit, quanquam, qui est ipsius mos, nonnulla justo liberius, ut ea, quae sunt §. 4: *Id si feceris, et Spartam et ceteram Graeciam sub tuam potestatem se, adiuvante te, redacturum pollicetur*, in quibus verba *adiuvante te* Graecis *μετὰ σοῦ βουλευόμενος* non satis respondent. Hunc locum praetermittere non possumus, quin *Bremii*, *Bardilii* et *Daehnii* rationem improbemus, qui verba *se adiuvante* coniungenda ac *te* (quod in libris mss. propter praecedentium litterarum similitudinem omissum *Bosius* ex coniectura

felicissime restituit) ad infinitivum *redacturum* referenda esse existimant: quae quidem ratio quum verborum collocatione, nisi egregie fallor, minime commendetur, tum Thucydidis verbis, quae hic expressa sunt: *καὶ γνώμην ποιοῦμαι, — σοι Σπάρτην τε καὶ τὴν ἄλλην Ἑλλάδα ὑποχείριον ποιῆσαι. δυνατὸς δὲ δοκῶ εἶναι ταῦτα προᾶσαι μετὰ σοῦ βουλευόμενος* plane repugnat. Nequē vero huc cum Bardilio referri potest similis locus Themist. c. X, §. 2: „Hic quum — regi esset pollicitus, — illum Graeciam bello oppressurum“ et q. s., quum utriusque viri conditio longe fuerit diversa. Sed haec hactenus.

Transeamus ad cap. III, in quo quum scribit Nepos: *At ille post non multo sua sponte ad exercitum rediit et ibi dementi ratione cultum vestitumque mutavit* et quae sequuntur usque ad verba *crudeliter imperabat*, temporum ordinem mirifice perturbatum esse, si Thucydidem consulueris, intelliges. Quae enim hic post secundum Pausaniae discessum facta esse narrantur, ea, illo auctore l. I, c. 130, iam antequam primum domum revocatus est, acciderant. Vide de hac re *Wichertem* l. l. p. 41 sqq. Nec vero huius V. D. sententia mihi probatur, qui Nepotis fidei consulturus verba illa: *non enim mores patrios* usque ad *imperabat* librorum incuria confusa esse atque verbis, quae sunt in cap. II: *Huius Pausanias voluntate — alacrior ad rem gerendam factus (est)* statim subiungenda sibi persuasit. Eiusmodi enim negligentiam in Nepote non raram esse, non semel confirmavimus. Deinde quum Nepos, Thucydidis vestigia secutus l. I, c. 131: *ἔξεστι δὲ τοῖς ἐφόροις τὸν βασιλέα δοῦσαι τᾶτο* ita scripsit: *Licet enim legibus eorum cuius ephoro hoc facere regi*, ut in vocabulo *regi* cum interpretibus, qui Pausaniam regem fuisse negant, non haereo, quod sententia universe enuntiata est; ita iure offendas in verbis *cuius ephoro*, quippe quum omnes scriptores non *cuius ephorum*, sed potius universo collegio tantam potestatem fuisse affirmant. Ad quam rem compara *C. F. Hermann* *Antiq. Graec.* p. 84 sq. not. 7. qui apposite laudat *Xenoph.* de Re publ. Laced. l. VIII, 4.

In cap. IV quoque Nepotem duce suo non bene usum esse, statim ex verbis *Argilius quidam adolescentulus*, si cum Thucyd. l. I, c. 132 fin. ἄνηρ Ἀργίλιος, παιδικά ποτ' ὦν αὐτοῦ comparaveris, intelliges. Quo accedit, ut Nepos *Argilium*, quod est nomen gentile ab *Argilo*, Thraciae urbe, ductum (cf. Herod. VII, c. 115), pro nomine proprio habuisse videatur, id quod colligitur ex §. 4 et 5, ubi mentio fit eiusdem hominis. Qua de re non alienum est apponere verba scholiastae Thuc.: Τινὲς κύριον, τινὲς ἐθνικὸν, ἀπὸ πόλεως Θράκης, ὅπερ ἄμεινον. *) — Similis negligentia in iis conspicitur, quae mox inveniuntur: *Vincula epistolae laxat signoque detracto cognovit* et q. s., quum Thucydides l. I. ita scripserit: παραποιησάμενος τὴν σφραγίδα (i. e. sigilli forma [antea] expressa), ἵνα ἦν ψευδοῦσῃ τῆς δόξης ἢ καὶ ἐκείνός τι μεταγράψαι αὐτήσῃ, μὴ ἐπιγνῶ, λέει τὰς ἐπιστολάς κ. τ. λ. „Parva et minuta sunt, quae reprehendis“, inquit. Audio: quanquam ne parva quidem diligentis scriptori negligenda sunt. At vero compara mihi ea quae proxime insequuntur: *Fanum Neptuni est Taenari*. — *Eo ille index confugit in araque consedit. Hanc juxta locum fecerunt sub terra, ex quo posset audiri* cum his Thucydideis l. I, c. 133: Ἀπὸ παρασκευῆς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ Ταίναρον ἰκέτον οἰχομένον καὶ σκηνησαμένον διπλῆν διαφράγματι καλύβην, ἐς ἣν τῶν τε ἐφόρων ἔντος τινὰς ἐκρυψε κ. τ. λ., etiamque dubita, quin Nepos incre-

*) Animi causa hic apponere iuvat huius nominis explicationem, quae legitur in editione Corn. Nepotis *Panckouckiana*, ab El. *Johanneau* curata. Verba magistri Parisiensis haec sunt: *Argilius: graece ἀνήρ (adde τις) Ἀργίλιος, apud Thuc. I, 132, mihi videtur nomen proprium a voce ἀργός aut ἀργίος, candidus ut pulvis milvinus vel catamitus (?) derivatum.* — Simili ratione ad Milt. c. V. Vir D. docet, „quod mons, apud quem Persae fugati sunt, *Mons Panis* nominatus sit, *Miltiadem*, cuius nomen a voce μίλτος derivetur, eundem esse, vel idem nomen habuisse ac Panem, cuius effigies miniata fuerit, coll. Pausan. I, 32 fin. et Virg. Ecl. X.“ Tales ineptias etiamnum Francogallici professores nitidissimis editionibus nobis venditant!

dibilis sive festinationis sive negligentiae, ne quid gravius dicam, crimine coarguendus sit. Scilicet verba *σκηνησαμένον διπλῆν διαφράγματι καλύβην*, quae reddenda erant: *quum in tugurio, duplici pariete instructo consedisset*, ita interpretatus est, ut *καλύβην* vocem, si diis placet, a *καλύπτω* duxisse atque *specum*, seu locum subterraneum intellexisse, deinde *σκηνησαμένον* cum *σκευασαμένου* confudisse haud temere iudicandus sit. Vide *Hisehium* l. I. p. 31, qui recte contra Wesselingium ad Diod. Sic. XI, 45 v. 57 monet, Cornelium in hac re narranda non alios scriptores, nisi Thucydidem, secutum esse. De fano Taenario conferendus est Pausan. l. III, c. 15, p. 275: *Ἐπὶ δὲ τῇ ἄκρῃ ναὸς ἔκαστος σπηλαίῳ καὶ πρὸ αὐτοῦ Ποσειδῶνος ἄγαλμα.*

In extremo capite, ubi fatalis magni viri exitus enarratur, apud Nepotem in explicanda ratione, qua Pausanias ab ephoris comprehensus sit, haud parvas inesse difficultates, adhuc nemo interpretum, praeter *Moschium*, animadvertit, cuius docta de hac re annotatio in editione Bardiliana descripta est.

Primum enim scriptor sibi ipse repugnat, quum initio cap. scripserit: *His rebus ephori cognitis satius putaverunt, in urbe eum comprehendi*, deinde narret, Pausaniam *in itinere* ab ephoris comprehensum esse. Huc accedit, quod minime rei consentaneum, immo vix credibile est, si Nepotis fidem sequimur, Pausaniam *paucis ante gradibus, quam qui sequebantur*, in aedem Minervae *χαλκιοῖζου* pervenisse; quippe quae, Pausania auctore, in acropoli sita esset. Denique ephoris, si Pausaniam extra urbem comprehendere conati essent, magnopere verendum erat, ne ab Helotis, qui in illo libertatis recuperandae spem ponerent, seditio commoveretur. Conf. Thucyd. I, 132: *ἔπυνθανοντο δὲ καὶ ἐς τοὺς Ἕλλητας πρόσσειν τι αὐτὸν, καὶ ἦν δὲ οὕτως· ἐλευθέρωσίν τε γὰρ ὑπισχεῖτο αὐτοῖς καὶ πολιτείαν, ἣν ξυρηναστῶσι καὶ τὸ πᾶν ξυγκατεργάζονται.* Ut paucis dicam, Nepos perperam intellexit Thucydidis locum c. 134 l. I.: *Ἀκούσαντες δὲ ἀκριβῶς τότε μὲν ἀπῆλθον οἱ ἔφοροι, βεβαίως δὲ ἤδη εἰδότες ἐν τῇ πόλει τὴν ξύλληψιν*

ἐποιοῦντο. λέγεται δ' αὐτὸν μέλλοντα ξυλληφθῆσεσθαι ἐν τῇ ὁδῷ ἐνδὸς μὲν τῶν ἐφόρων τὸ πρόσωπον προσιόντος ὡς εἶδε, γνῶναι ἐφ' ᾧ ἐχόρει κ. τ. λ., atque totam rem ita narravit, ac si in Pausaniae et ephorum domum reditu accidisset; verum, si Thucydidem sequimur, Pausaniam non *in itinere*, sed in *via publica* (ἐν τῇ ὁδῷ) urbis Spartaе, quum iam domum redisset, correptum esse existimandum est: qua quidem ratione omnes difficultates egregie expeditas esse dilucide apparet. De ὁδός vocabuli vi, qua *viam*, seu *viam publicam* (Germanice *Strafse*) significat, conferas *Astium* in Lexico Platónico sub voce ὁδός, qui plurima exempla collegit.

Eodem loco Nepos festinantius scripsit: *in aedem Minervae — confugit*, et paulo inferius: *valvas eius aedis obstruxerunt*: nam ex verbis Thuc. l. l.: ἐς οἴκημα οὐ μέγα, ὃ ἦν τοῦ ἱεροῦ (τῆς Χαλκιοῖκου), non in templum ipsum, sed in aedificium, quod prope situm erat, Pausaniam confugisse efficitur. De hac re conf. *Haackium* ad Thuc. l. c., qui aptissime Pausaniae l. III, c. 17, 6, ubi huius templi σκήνωμα commemoratur, laudat recteque addit: „De aede ne accipias, articuli quoque defectus monet.“ Quocum consentit *Manso* V. cl. in libro, qui inscribitur *Sparta*, P. I, T. II, p. 24, not. t., ubi doctissime de huius templi ratione disputavit; contra ea in exponenda Pausaniae comprehensione hic V. D. vulgatam istam Cornelii narrationem amplexus est. Conf. *Sparta* P. I, T. I, p. 372.

Priusquam a vita Pausaniae discedamus, breviter attingenda sunt extrema fere verba: *Cuius mortui corpus quum eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quo hi qui ad supplicium essent dati; displicuit pluribus et procul ab eo loco infoderunt, quo erat mortuus, quae quidem ex Thucydidis l. I, 134: καὶ αὐτὸν ἐμέλλησαν μὲν ἐς τὸν καιάδαυ, οἷον τοὺς κακούργους ἐμβάλλειν εἰσθασιν · ἐπειτα ἔδοξε πλησίον που κατορύξαι* petita esse apparet; sed Nepos, qui verba *πλησίον που* quo referenda essent minus perspiceret, perperam adiunxit: *quo erat mortuus*. Etenim si Thucydidis verba recte interpretaris, ad *πλησίον που* vocem τοῦ

καίανον, quae proxime antecessit, cogitandam esse intel-
liges. — Reliquum est, ut moneamus, in verbis *procul ab*
eo loco cum plures Nepotis interpretes, tum nuper Hise-
lyum et Wichertem sine causa offendisse atque *non procul*
corrigen- dum esse coniecisse: nam *procul* non semper
maius intervallum, sed locum pro re nata longius pro-
piusve remotum significare, similibus locis ipsius Cornelii
egregie comprobatur, ut Milt. VII, 3, Them. VIII, 7,
Timol. I, 4: *procul in praesidio fuit*, coll. Datam. IV, fin.
Qua de re vide *Bremium* ad nostrum locum; praeterea
conferendi sunt *Servius* ad Virg. Aen. III, 13; V, 124;
VI, 10, *Forcellinius* in Lex. s. v., *Ruhkenii* Dictata in
Terent. Com. Hec. IV, 3, 1; in primis cl. *C. F. Hein-*
richius ad Cic. de re publ. p. 3 (lib. I, c. 1). Sed ne libel-
lus noster in nimiam molem excreseat, hic subsistamus et
quae supersunt in oppertunum tempus differamus.

zau
lige
eo
lyu
cor
ma
piu
egi
Tir
Qu
cor
VI
Te
ricl
lus
qua

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

- A 1 **R** **G** **B** **W** **G** **K** **C** **Y** **M**
- 2
- 3
- 4
- 5
- 6 **M**
- 7
- 8
- 9
- 10
- 11
- 12
- 13
- 14
- 15 **B**
- 16
- 17
- 18
- 19

andam esse intel-
verbis *procul ab*
tum nuper Hise-
atque *non procul*
ocul non semper
nata longius pro-
cis ipsius Cornelii
, Them. VIII, 7,
ll. Datam. IV, fin.
locum; praeterea
III, 13; V, 124;
ukenii Dictata in
s cl. C. F. Hein-
1). Sed ne libel-
nic subsistamus et
lifferamus.



